

Z f  
955

VALENTINI

GVILIELMI FORSTERI

J. U. Doctoris

*Apologia*

*pro*

FRIDERICO TILEMA NO

U. J. D. & antiquitatum in celeberrimâ

VVitebergâ Professore publ.

p. mem.

*Adversus*

*Futiles cuiusdam Sueci contumelias.*

Eurip:

Infrænis oris vectigal calamitas.



VVITEBERGAE


Typis M. Iohannis Cratonis, Anno 1598.



BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA







INCLYTO-GENEroso  
DOMINO TIDONI HERMANO

LIB. BARONI AB INHAUSEN ET  
Kniphausen in Elter & Vogelsangk, majori do-  
mus hereditario in Baetenack, domino  
suo clementissimo.

**S**Imul atq; Generose Liber Baro, Domine clemen-  
tissime, faciem Generositatis tuae vel primam facie  
mibi licuit intueri: vix credit Generositas tua, quam  
amore multo tum ad ipsam protinus exarserim.  
Credebam enim quod Lucas de penam noster (ad l.  
1. Col. 1. vers. secundo queritur. (. qui etate vel profess. se excus-  
sant. lib. 10. et cum ipso Goed. ad l. 38. n. 13. De V. S. docet spe-  
ciem corporis esse simulacrum mentis. Et quemadmodum Cory-  
theum insigniter stultum ac de cordem, sicut etiam forma erat fo-  
disima et infelicissima Zenodorus tradit: ita per directum stata  
Generositatis tuae forma, tam in venustate, quam in vigore et  
comitate posita, heroicum et genuinum Generositatis tuae inge-  
nium mihi satis ample manifestabat. Si quis igitur hic interroget,  
cur Generositatis tuae pulcritudo in amorem sui me allecta verit,  
huic cum Aristotele respondebo, caeci hominis istam esse questio-  
nem. Nam et virtus ad diligendum homines allicit: secundum  
Ciceronem. Verum auxit amorem istum vetusta qua nos in vicem  
Heidelbergae prosecuti sumus, mea et Generositatis tuae praece-  
ptoris

ptoris fidelissimi, viri doctissimi Bernhardi Buschij, benevolentia, nunc in hoc loco redardescens amicitia. Quapropter nihil præter hæc in votis habui, quàm ut Generositatis tuæ notitiam ulteriorem & favorem, consequi mihiq; conciliare possem. Eius rei quò Generositas tua quoddam haberet argumentum & indicium, faciendum putavi, ut has pagellas adversus Tilemannomastigam his diebus à me confectas interim dum in alijs animum declarare laboro! dedicarem, manciparem. Rogo verò Generositatem tuam, ut & has Clementi benignoq; vultu suscipere, & me favore suo prosequi non dedignetur. Ego vicissim studia mea quævis & officia Generositati tuæ prompta parata polliceor, defero. **DEVS IEHOVA** Generositatem tuam salvam & incolumem diu conservet! & superstitem faciat, ac animo simul & Corpori dicat benè.

T. Generositatis

Obsequentis.

Valentinus Guilielmus Forsterus. V. I. D.

Ebullavit



**B**ullavit non ita pridem Suecus qui-  
dam fullo potius quã LL. studios9 in bonum istum Fride-  
ricum Tilemanum, nescio quas bullatas nugas. Ita videli-  
cet ijturgebat, ut nisi vel in mortuum effutiret ac evacua-  
ret, ipsi rumperentur ilia. Verum mos is est leporum, ut bar-  
bam vellant mortuo leoni, viventis umbram quæsitent. Ast diem an-  
tipaviv idè quò falleret, & ne prorsus videretur oblitus Scholastici  
disterij, **DE MORTUIS NIL NISI BENE.** O egregium  
egregij Suecici Rethoris Ramistici stratagema; non rusticis, non pue-  
ris, non dupondiis nedum disceptationes feudales parturientibus &  
amphoras ingentes instituentibus incognitum. Facit nã prudentia  
popularis & communis ista, qua pollere se prudens Suecus sibi per-  
suasum habet, ut expunctus sit, & imprudens ab omnibus sanioribus  
rectè judicetur, dum vulgus sequitur & posthabet illud senecæ, Non est  
prudentis errantes odisse: si Tilemanus errasset modò. Sed subodo-  
rari cuivis & persentiscere facile fas relinquitur, quisnam mucro Sue-  
cum percussit, & quid ad calumniandum ipsum ac tantoperè male-  
dicendum induxerit. Inter alia quæ bonus iste Doctor Tilemanus pie  
memoriæ sincerè & candidè verorum Historicorum indicavit indicia,  
illud etiam recensuit, ut is deligatur qui nimio patriæ amore, atque  
fallaci in suos propensione, non reperiatur vel fractus vel corruptus.  
Quis nunc fidei litasse Suecum ex hoc fundamento non inficiabitur,  
quãdo Suecus à Suecis Gotthos oriundos derivat, & Germanos here-  
ditario jure suo privat, ac de proprietaria possessione quasi vi disturbat:  
partim domesticis equere sua contestantibus testimonijs fretus: par-  
tim vanis & tanto logico qui docturus antiquarium est quid sit defini-  
re, quid distribuere, & indignis argumentis, & indecoris ac dedecen-  
tibus. Quale vel illud in præcipuis habet, quod in medio libellum Got-  
thico sermone Gotthicisq; characteribus conscriptum habeat, è quo  
Germanus quispiam ne unum verbum vel legere vel interpretari pos-  
sit. Si non tot tantisq; mendacijs epistola Sueci famosa suffarcinata le-  
geretur, id crederem. Médax autem hec lucratur, ut cum vera dixerit,  
ei nonn credatur. Quo tamen benè sibi Suecus placeat, age sit ita. Quid  
evincet? Id nimirum Suecos, Hassos, Francos quod idiomate Saxo-  
nico

nico vel interioris Germaniæ conscriptos libros legere vel intelli-  
gere nequeant, ideo Germanos non esse. Pol conclusio valida, quæ  
in Schola Beurhusiana scuticam meretur, & in Ciceronis vel A-  
ristotelis vel Eberhardi Topicis neququam reperitur. Verum e-  
nim verò alij vestes & machinæ quibus percommode adversarijs oc-  
currere poterit, in disceptationibus Sueci de origine feudorum, de-  
que aliis illustrioribus generis feudalis quæstionibus, propediem  
DEO favente apparebunt. Quid audio? quid audio. Forsan ori-  
ginem & scaturiginem feudorum, iste Suecus a Suecis suis deducet.  
*Δότε μοι λεκάνην: δότε μοι λεκάνην.* Ita nihil tandem inausum relin-  
quet temeritas. Nisi tamen meliori nota Suecus disceptationes sig-  
narit, quam hanc suæ spurcitiei frigidam colluviem id ipsi consilium  
dabimus, linquat hic calamum, & calam scindat, ut caleat. Mon-  
strabitur alioquin ei quàm nihil sit temeritate turpius, nec quidquam  
tam indignum sapientis gravitate & constantia, quàm aut falsum  
sentire: aut quod non satis exploratè perceptum sit & cognitum,  
sine ulla dubitatione defendere, secundum Ciceronem. Porro non  
modo ea causa est: cur virus acerbitatis apud bonum Tilemannum  
eructare voluerit & evomere sus Suecus: Quin in alio dumeto lepus  
iste latitat. Nam si verum auguror, vel diversitas religionis, vel di-  
screpantia à secta Ramea suecum in istam sævitudinē & animi maliti-  
am ac furorem compulit. Idque ut sic statuum, facilius inducor: quan-  
do non Tilemannum solum quidem: sed & totam hanc Academiam  
Vitebergensem Suecus iste susurro sugillat: ut inferius patebit. Est  
enim is fucus adversariorum, ut addictus ipsis si quis sit, licet alias asi-  
nus, iccirco tamen habeatur Papæ Myxus: eaque fascinatio omnium  
irrupit animos: doctum non esse nisi quis sit ex adversa parte! quod  
& iuristis compluribus indignè persuasum est: quamque Ramæi sibi  
invicem thus pedant, me latere nequit, qui jam olim totus in ipse-  
rum fuerim consortio! nondum eodem totus exemptus. Tacebo nunc  
bonum Tilemannum Theologica tam non neglexisse, ut dilexerit &  
has controversiarum Philosophicarū nugas parvipendisse, legisse tamē  
& Ramum, & intellexisse. Et illi tamen & isti fateantur oportet, quod  
vel invitati satis experiuntur, & res ipsa loquitur, inter antagonistas  
suos, doctissimos quosq; inveniri, numerari. Inter quos cum vel in  
primis fuerit Tilemannus: quid cogitasti quæso Suece quod Iurista  
tresis

treffis & de ima sede Philosophus hunc tantum virum insultaris? Sci-  
licet magnanimum & generosum ac forte statuebas, exemplo Leonū  
prius in viros quā in foeminas fremere; & servulos viliores fastidere,  
ijsque neglectis in eos qui reliquos vel authoritate vel robore præ-  
cellunt, irruere. Rectè quidem sic statuebas, sed non ritè. Nam ut  
Seneca loquitur, Fortitudo non est inconsulta temeritas, nec pericu-  
lorum amor, nec formidabilium appetitus. Ferri equidem posset  
temeritas sola, si non tot concomitaretur mendacijs enormissimis,  
& mendacissimis convicijs: aut non sola, si ea justam repræhendendi  
causam aliquam agnosceret. Ec quam verò (de mendacijs & furore  
post agemus) repræhensionis causam allegat aut habet Suecus: In  
toto sanè discursu dum ad universum istum responsum matu-  
rat & crepat, quod roderet nihil repperit præter unicum istud The-  
ma: Num Archimedes aliquod scriptum reliquerit? Id negavit Tile-  
mannus, an incautè, magis cautè: & præsumptivè. Scivit D. Tile-  
mannus ex Dioclet. & Maximin: quod per rerum naturam seu ut lo-  
quuntur alibi naturali ratione negantis probatio nulla sit. Hoc uni-  
cum munimen abundans præstitisset, adversus Suevicam juris igno-  
rantiam. Verum & negativæ suæ argumenta tertia seu medios ter-  
minos ultrò retulit: tum quod Plutarchus profiteatur Archimedes  
nihil scriptum reliquisse: tum quod vetustissimi nullam istiusmodi  
fecerint mentionem. Primum Suecus subvertere conatus est: sed  
conatus saltem: nihil præstitit. Quanquam enim locus Plutarchi  
possit ad subjectam materiam applicari, potest tamen & generaliter  
intelligi. Nunc id tralatitium est, ut generaliter prolata, generali-  
ter potius & sine determinatione, quam restrictivè sumantur. Nec  
omnia quæ de Archimedis interitu obitu & artificijs in Plutarcho  
reperiuntur; ad oppugnationem Syracusanam coarctari debent.  
Nam id Plutarchus nō voluit. Ad alterum impugnandum produxit a-  
liquot authores; sed Mathematicos omnes, quibus historica nō attri-  
buitur authoritas, & quos sic sentire nec ignoravit Tilemannus, nec ne-  
gavit. Unus Cicero videtur obstare: videtur modo! nō obstat. Cum ra-  
rum neutiquā sit ut aliquod alicujus opus seu factum veniat in Prover-  
bium etiā literis non commendatum, ut typographia & similia. Posito  
tamen nō concesso quod Archimedes scripta post se reliquerit, an in  
eo sitæ sunt facultates Germaniæ; an hoc tantarum calumniarum suf-  
ficiens.

ficiens fuit, non dico causa sed occasio. Meminisset Sūecus ex Cicero-  
ne esse iniquam in omni re prætermiſſis bonis, malorum enumeratio-  
nem, vitiorumq; ſelectionē. Ita certè verum eſt, quod Seneca loquitur.  
Quamvis agas ut ne quis merito tuo oderit, erunt tamen ſemper  
qui te odient: Nec qui te odient tantum; verum qui ex oſum etiam a  
liis te cupient, & ſummo nitentur opere. Ut videre licet, Suecum hunc  
omnem hic lapidem movere, poſſit ne bonum Tilemanum Mathe-  
maticis in viſum facere: ob id nimirum quod Archymedem ſcriptum reli-  
quiſſe, negaverit: quaſi verò fundamenta Mathematica propterea  
ſubvertat, quæ non ex Archymedis aut alterius authoris nomine de-  
pendent, ſed indubiã ratione & demonstratione abſolvuntur, & certi-  
tudinem ſuam nihil amittunt, quamvis Arrhymedis nomen detraha-  
tur, ut ipſe Tilemanus huic obtreſtationi reſponderet, & me multò re-  
ſpondiſſet eruditius, ſi maligna Parca nobis hunc non nimis ademiſſet  
præproperè. Cæterum mendacem, Sueci furorem ex malevolis oratio-  
nis floribus facilimè cognoſcemus, Nam porcorum quoq; lepra vel  
ſanitas ex ipſorum lingua depræhenditur: atque Modestino furioſa o-  
ratio, furoris eum qui loquitur, coarguit ut non abs re dixerit ſapiens  
LOQVERE; VT TE VIDEAM. Quo tamen Sueci magis magisq;  
furor innotelcat, ac in propatulo conſtituatur omnibus; age non pæni-  
tebit, nec pigebit, pro boni Tilemanni majore innocentia, importuni-  
tatibus Suecicis noſtras ſubiicere gloſſulas. In quibus ſi quid auribus  
Sueci videatur duruſculum; cogitet non aliter ſe promeruiſſe: Benedi-  
ctis ſi certalſſet, audilſſet benè: ait Terent: & Plautus inſit, Contumeli-  
am ſi dices audies.

## SUECVS.

*Quo in genere prodiit ſuperioribus menſibus diſcuſſus qui-  
dam Philoſophicus de delectu hiſtoricorum (forſan intellectu hi-  
ſtoricorum legendum eſt.*

## FORST:

Quid Suecus Criticus hic velit neſcio. Si non legit hæcenus no-  
men delectus adeat Cicero: in 4. Verrin. item de claris Orat: ac ut  
phraſes verbi colligat legat Vallam lib: 5. eleg. c. 60.

SUECVS



# SVECVS

*Autore Friderico Tilemanno, magni nominis magnæq̄ existimationis Icto, sed tantum in foro VVitebergensi cognito..*

## FORSTERSVS

Hem Suece tenebrio, tun' es permicans istud candelabrum patriæ? Quin soli lumen mutua at ne micam quidem tui nominis habebamus antea, quam epistolum hoc ederes: nec his calumnijs gloriam quam captabas, adeptus es. Nam omnes boni eas insuper habent, & abjciunt memores istius quod Menander refert.

Ὅστις δὲ Διὰ βολαῖσι πείθειται ταχὺ  
Ἡκοι πνευρὸς αὐτῷ ἐστὶ τὰς τρόπους  
Ἡ πάντα τῶσι παιδαγωγὸν γνῶσιν ἔχει.

*Id est. Si Græca non intelligis*


*Qui calumnijs statim fidem adhibet:  
Aut moribus improbis præditus est;  
Aut ingenium habet prorsus puerile.*

Ac quod Thucidides ait: Διὰ βολὰς ἔσώφρον' οὐτε λέγειν πρὸς ἀλλήλους, ἔτε ἀκούοντας ἀπεδέχεσθαι. *Id est. Non decet calumnias neque alijs narrare, neque audiendo suscipere, ut verum in te conspiciatur aliud Senecæ. Multi cum alijs maledicunt sibi ipsis convitium faciunt. Cæterum in eo non laboris dum Fridericum Tilemannum magni nominis magnæque existimationis Ictum ironicos quidem, ast omnium bonorum judicio verissimè pronuncias: eumque talem iudicatum, & fuisse, scias non in foro tantum VVitebergensi, sed & apud exteros. En producam tenebrioni Sueco verissimam Magnifici nostri Domini Rectoris funebrem Intimationem duplicè parenti nimirum & filio viro utrique perbono perdocto balineo appositam. In qua magnificè & verè Doctoris Tilemanni p. m. laudes illustrantur. Remittam etiam benevolum Lectorem ad Reverendi viri Domini D. Ægidij Hunnij Superintendentis nostri meritissimi concionem & commendationem singulariter egregiam Domino D. Tilemanno in exequijs factam. Quorum virorum tanta fides est & autoritas apud omnes bonos & eruditos: ut hæc facile frenum Sueco sunt iniectione:*

B

solaq̄;

solaq; per se demonstratura non fuisse Tilemanum nostrum vel tardū  
vel bardum. Sed & his addā splendidissimā clarissimorum Germaniæ  
Ictorum neutiquam domesticam quadrigam l unde percipiat in quam  
multa fuerit bonus Tilemannus apud exteros etiam existimatione me-  
ritissima, & quantum præstantissima tantorum virorum elogia his in-  
eptissimis, iniquissimis, tenebrionis Sueci convicijs ac contumelijs  
præsent. Illiberale fieri scio, si privata epistola sine consensu scripto-  
ris edatur; Veruntamen quoniam in his non, quæ taceri debeant,  
sunt commissa; & quoniam scio bonos homines Tilemanno glo-  
riam plurima diligentia partam non invidere ad re-  
tundendam suecicam impudentiam, libentius  
liberiusq; subijciam.



RECTOR ACADEMIÆ  
VVITEBERGENSIS M. ANTONIUS  
Evonimus Carinthius, Ethices Profes-  
sor Publicus.

**F**RIDERICVS TILEMANNVS à VITA NVDIVS-  
tertius discessit: quod omnes, quibus artium liberalium studia & nutritrix  
earum VViteberga non est ignotam præscire absq; nostro monitu,  
certò scimus. Et quãquam, si res nostri esset voti, & nisi præpotenti &  
sapienti DEO aliter visum, in alio argumento, quod magis in ómnibus, defuncti  
memoriam occupare, magisq; <sup>in ómnibus</sup> cuperemus: cum tamen ex suavia ipsi-  
us solennibus & usitatis hinc ceremonijs sepultura sint afficienda, deq; loco & tem-  
pore vos edocendi; eadem opera, quæ in illo viro præcipua fuerunt, non quidem di-  
cendo explicare, sed in transcurso strictim attingere, nos minimè pœnitebit. Natus  
est Tilemannus eo loci, in quo, patrum memoriã, & Evangelij & artium liberaliũ  
& omnis honestæ discipline vis ac virtus renata est, VViteberga: Patre Barthole-  
meo, Ecclesiæ nostræ quondam archidiacono, nunc rude ob invaletudinem & sene-  
ctam donato; quem nemo vestrum non optimè novit, & fatum ejus in suo & jam  
tanti filij casu, ex animo nobiscum miseratur. Ingeniosum nasci, felicitas est;  
inquit Augustinus. Atq; hic natus talis. Quæ etiam causa fuit, ut Parentes ab in-  
eunte

eunte statim pueritia literis ac disciplinis imbuendum magistris eum commiserint: ubi studio & diligentia ipsam aetate praecurrebat: neq; calcaribus quod vulgo solet, sed freno potius opus erat viam sapientiae & virtutis terenti. Factus paullo adultior, cum specimina apparerent, ad omnia summa eum ab ingenio armatum, locum inter Illustrissimi Magistratus alunos emeruit. Nec mora, nec requies (ut Poëtae verbis utamur) Nihil iste quicquam putabat actum, si quid agendum restaret, quocirca in omnes Philosophiae partes mature incumbendum existimavit; neq; prius remittendum, quam testimonio profectus sui publico honores Magisterij, quod vocant, auferret: idq; obreptum aetatis anno unde vicesimo. Vbi aetas au-gescebat, & iam firmior iudicij maturitas illam quasi luxuriam ingenij subactam compefcebat: animadvertit ad majora se natum: applicatq; animum Iurispru-dentiae: in eaq; tanta alacritate & industria dies noctesq; operam suam exercet: ut antehac cessator & desidiosus, iam vero demum strenuus & curiosus videri pos-sit. Ita brevi effectum est, ut iura non ipse tantum felicissime disceret, sed & ju-ventutem pari felicitate eadem doceret: tanta quidem, ut ejusdem stu-dij pars bene magna secum rectissime agi puterent, si eo potissimum preceptore & exemplo uterentur. Postea cupiditate etiam peregrinandi B filicam excurrit, & inibi Iuris insignia ambiens Doctor renunciatur. Ad suos reversus amplissima Facul-tatis iuridicae boëthius communi sententia haud multo post declaratur. Sed nec in caeteris abs se discessit: & imprimis antiquitates ac historias cognoscendi vix dici po-tesse quāto flagrarit desiderio: quarum & Publicus Professor in annum jam tertium est salutatus. Memoria, quae rerum thesaurus est, ad miraculum usq; fideli & ex-prompta valebat. & quicquid longa cognitio alijs praestitura erat, prima intentio animi dabat, hinc de re omni ferè, quae in questionem veniebat, extempore ve-lut diu multumq; praemeditatus differebat: & saepe in horam unam & item alte-ram cum stupore auditorij memoriter causam perorabat: & ea agitabat, quae mirari omnes, imitari vix unus ex omnibus sustineret. Venatori, inquit Colu-mella, vitio non est, etiamsi non omnes feras, quas captat, ceperit. at hic no-ster vitam sibi acerbam illic putabat, si non omnia pernovisset, quae forte offen-derat. Et in omni re non difficulter poterat suis imperare cupiditatibus; in sola discendi libidine non poterat: & semper omnibus satisfacerebat, sibi uni nunquam. tantus erat & gurges & heluo (si ita loqui fas est) librorum. His igitur jam ad-emptis, quid aliud, nisi illud vulgatum ingeminabimus? Hei mihi! quā par-vis pereunt ingentia causis! Verū enim verò sic est profectio, ut Cicero Latina Siren alicubi scriptū reliquit: Non potest in eo esse succus diuturnus, quod nimis celeriter maturitatē est adsecutum. & ut Plinius refert, Catonē Cen-sorium velut ex oraculo prodidisse, senilem juventū praematurae mortis esse signum.

Ita Optima prima ferè manibus rapiuntur avaris : Implentur numeris  
deteriora suis. Hominem ingeniosum atq; mansuetum atq; virilem difficile re-  
perias, Plato inquit. Quod verum, non negamus, reperiri tamen, quantumvis dif-  
ficile ; & esse repertum Tilemannum, non etiam negamus : cujus omnes mores ad  
venustatem pariter & animi altitudinem valebant. & propterea suspiciebant eū in-  
feriores, admirabatur æquales, laudabant superiores, amabant omnes. De morbo eius fa-  
tali & extremo hoc accepimus. Die 23. Maii, febr̄i ex hypochondriorū dolore acutā,  
cepit decubere: quā, præter sanguinis stillam, excepit retracta ac ceu subducta eru-  
ctio, Hippocrati ἰσχυρὸς ἰσχυρῶν nomine audita, & ipidæm demū pernicioſa  
secuta, quā subroscido toto corpore alibile succū exsudante & ex malignæ cacochy-  
miæ copia per intervalla repetentibus in naturæ oppressione mimi deliquit, tandē  
succubuit: atq; ita nudius tertius, qui dies mēsis Iunii nonus, hora 2. sub conticinium,  
placidissime obdormivit: cum prius etiā, Sacramēto Cœnæ sumpto, fidei confessionē  
homine Christiano & reliqua vita sua non indignam edidisset. Vixit annos vigin-  
ti-octo, menses præcise binos, minus duodecim horis. Funus ei facient mœstissimi  
parentes hodie ad horam 2. & corpus humari curabunt in Parochiali (quod vo-  
cant) templo. Ad cuius deductionem singulos impensius vocaremus, nisi exploratū  
nobis esset : vos, quem vivum tantopere coluissetis, nunc demortuo ultimum hu-  
manitatis officium præstandum non defugituros, suffecerit de loco & tempore,  
quod initio facturos recepimus, indicium fecisse. P. P. XI. Iunii, Festo

B. Trinitatis. Anno Christi. c 17 17 11 C.

**RECTOR ACADEMIÆ  
VVITEBERGENSIS M. ANTONIUS  
Evonimus Carinthius, Ethices Profes-  
sor Publicus.**



**E**LAPSÆ NVMERANTVR HEBDOMADES  
plus minus sedecim, quando FRIDERICVM TILEMAN-  
NV M, Iuris utriusq; Doctorem, & Historiarum Professore Collegam  
nostrum vestrumq; Præceptorem sepulturā affecimus. Et  
nondum, ut arbitramur, ex animis vestris, qui interfuistis, effluxe-  
runt, quæ super exsequiis eiusdem, & nos in simili scripto & venerandus Pastor  
pro concione publicè inculcavimus. ubi inter cætera parentis etiam, uti fieri par  
erat, mentio est injecta, & in felicium numero æstimatus, qui talem ex se filium  
progenuerit, ad cuius ingenium & eruditionem præter ætatis modum adauctam,  
non solum patria & nostra Academiæ, sed & exterorum nationes obstupuerint. Is  
nudius.

nudiustertius horam circiter nonam vesperi filium suum ad eternam beatitatem in-  
secutus miserimas vitæ hujus calamitates reliquit. Secutus quidem filium, sic Deo  
volente: sed quem in hoc fatali stadio ad mortem nimio quàm voluisset anticipa-  
re: atq; hoc in votis unicè semper habuit, ut feliciore quodam naturæ ordine (quod  
& meliores è gentilitate parentes à diis suis accuratissimè flagitabant) sibi potius  
moriendi oculos clauderet Filius, quàm ipse filio.

Et mirum sane est, atq; in exemplo singularis patientiæ numerandum, hunc  
virum totos novem annos & ultra à domi suæ quasi semimortuum desedisse, & uni  
propemodum loco, ob morbi gravitatem, affixum, nullam unquam improbiorem vo-  
culam, impatientiæ alicujus indicem, edidisse. Et creditu non est difficile, nec ca-  
rens ratione, ipsius & animum & corpus in illo omnium dulcissimo & gratissimo  
filij spectaculo mirificè fuisse recreatum, quod cujusmodi sit, vos qui estis in iuven-  
tute & in affectuosissimam illam parentum societatem nondum animati, vix capere po-  
testis. Refert A GELLIVS RHODIVM quendam Diagoram tres (Cicero  
duos ait fuisse) habuisse filios adolescentes, unum pugilem, alterum pancratiasten,  
tertium: verò luctatorem, quos eadem Olympiade vincere & coronis insigniri viderit.  
cum autem tres filij simul coronas patris capiti imponerent, & suavissimè am-  
plexarentur, præ gaudio in manibus filiorum animam efflâsse. Iam quos & quan-  
tos honorum ac dignitatum gradus hic noster T I L E M A N N V S in filio suo eti-  
amnum juvene coacervari viderit, vos rectissimè scitis: & quoniam ob oculos atq;  
annuum singulis, hodieq; versantur, non est operæ pretium eadem specia-  
tim recensere. Ita ut credibile sit, eum ex inopinâ & acerbâ filij mortis, atq;  
subitâ omnium illorum ereptione, quibus senium & morbum tolerare videbatur,  
celerius ad fatum suum festinâsse: quod & ipse gemitu & voto sapissimè invoca-  
bat; cum in omni ferè sermone Apostoli illud inculcaret; Cupio dissolvi, & es-  
se cum C H R I S T O. Vbi jam sine dubio est, & in omne seculorum infinitum  
permanebit. Inter homines dum fuit in hac mortalitate, anni sunt elapsi sex &  
quingenta: quos magnam partem in docendo Evangelium de Iesu Christo in-  
sumsit: & primum quidem biennium Gruningæ Saxonum; annum Reinsfeldi; ali-  
quod tempus in castris & militia Gallicana: quinquennium Herzbergæ: octode-  
cim annos VVitebergæ. In conjugio vixit triginta, si vivere est, supra novennium  
in morbo cubare. De germanâ ipsius in Deum pietate, interq; homines inte-  
gritate non est ut multa dicantur, cum nulli non sint notissima. Funus esseretur ex  
adibus suis ad horam II. & concione funebri prius honestatum in arçâ templi ritè  
sepelietur. Quod ut vestrâ quoq; præsentia exornetis magnoperè censemus. Et æquū  
est, ut hoc officium defuncto huic M. B A R T H O L O M A E O T I L E M A N N O  
semel præstetur, qui istud multis in vitâ suâ præstitit multoties. P. P.

Calend. Octobris. A.D. 1598.

B 3

I. EPIS.

# I. EPISTOLA GOTHOFREDI

Data Argentorati 5. Decemb. Anno 97.

**S**P. Duas à Te disputationes (vir Clarissime & prestantissime) sine literis tamen, Tabellarius vester mihi reddidit, nec per eum stetit, quin & meas secum referret: quoniam tamen in ipso itineris sui procinctu Theodorus filius meus tum erat, per hunc quam per extraneum gratias agendas tibi putavi: ut si minus pro muneri & meriti in me tui dignitate literis meis tibi satisfacisse visus fuero, praesens filius eam suis verbis vicem suppleat. Quin & ad vos, in visendae Academiae vestrae celeberrimae ergo, iturus, literis ad te nominatim postulavit, quod & te mihi charum amicumque esse intelligeret, & te propterea, peculiari quodam studio, ob solertissimas Disputationes à te divulgatas, observaret. Praesentem itaque velut amici filium tuarumque virtutum cultorem religiosissimum, si in conspectum tuumque colloquium admiseris, omnia à te sibi data censuerit. Dabit, ut spero, per aetatem invalescentem operam, ut in te colendo nullum fidelitatis officijque genus praetermittatur. Vale. Argentorati 5. Decemb. Anno 1597.

Tui Studiosissimus &  
Observantissimus

D. Gothofredus.

---

# II. EPISTOLA DN. HERMAN.

ni Vultejj. Data Marpurgi 14. April. Anno 98.

**S**Clarissime vir, D. Valentinus Guilelmus Forsterus literas tuas hodie mihi reddidit rectè. Mirabiliter verò illae me affecerunt. Nam & ab eo erant scriptae quem tametsi à facie ignotum ab aliquot annis amavis & erant scriptae amicè. Et verò doleo, me abs te praeventum esse. In eo enim iam pridem fui, ut si ad te non scriberem, nunciarem tibi saltem meum in te amorem, & quam te ob elegantissimam animi tui faciem, quae ex scriptis tuis editis elucet, colam. In his animadvertis te mihi etiam locum dedisse. Utinam expectationi & tuae & aliorum tui similibus satisfaciam. Vobis enim placere studeo: malevolos & invidos contemno secure, eosque indignos judico, qui mea vel digitis tangant. Commentarium in Institutiones Luxis hac Panegyri Francofurtensi in publicum emitto. Non erat

eo admodum opus: sunt enim eo in genere bene multa scripta, & plura fortasse  
quam oporteat: sed dedi hanc etiam Studiosorum petitionibus & efflagitationibus,  
& erit fortasse in eo aliquid, quod è re ipsorum futurum sit. Missem tibi ejus  
Commentarij exemplum amicitiae nostrae pignus tibi futurum in Museo tuo, sed  
nullum dum ad manus habebam. Vbi Francofurti exemplaria accepero, & ad  
te nuncius mihi erit, faciam ut unum accipias. Tu vero, vir Clarissime, in studio  
illa egregio, in quo egregie capisti, perge, & ingenij tui praestantissimi monumenta  
prode. Video te & natum & factum esse ad haec studia nostra tractanda, qua  
res facit, ut te depeream. Vides, non esse rogatione ulla opus, ut te in amicitiam  
meam immittam: jamdiu est, quod te inter carissimos habeo amicos, nec volupe  
mihi quidquam magis est, quam amicitiam tecum viro elegantissimo colere. Non  
deero meo loco, tu vide sis praestes idem, quod te praestare video. Quos locus dis-  
jungit, conjungat animus idem sentiens, & concilient nobis hoc scriptiones mutuae:  
& omnino mihi de me persuadeas velim, me tui causa velle quidvis. Quod superest,  
salvare & valere te jubeo amicum exoptatissimum, &c. Marpurgo a. d. XIV.  
Aprilis, Anno Christi M. D. XCVIII.

Tui amantissimus

Hermanus Vultejus IC.

### III. Epistola Dn. Gæddei eod die ibid. scripta.

Quamprimum nuper, Vir Clarissime, Theses, quas sub tuo praesidio Candidati  
illi ornatissimis ex quorum numero etiam erat Dn. Valentinus VVilhelmus  
Forsterus, affinis meus charissimus, perlegeram magna me incessit admiratio tui  
ingenij, praestantissimi: nihilq; optabam aliud, quam ut liceret mihi tanti viri  
noticiam habere. Quid enim excellens hoc tuum ingenium possit, si velit, facile  
ex eo, tanquam leonem ex unguibus, ut ajunt, quilibet cognoscere potest. Tan-  
to igitur me majore gaudio, imò voluptate tuae affecerunt literae, quas mihi affi-  
nis meus Doct. Forsterus omni humanitate & eloquentia plenas exhibu-  
it. Gratias autem ago magnas, quod amorem mei apud te locum invenire  
voluisti: & vicissim omnia mea tibi tuisq; offero. Commentarios me-  
os quod attinet, conatus quidem aliquid sum: Sed tantum pro tyronibus:  
Doctis non scripsi, nec cedo ipse dignos judicare hos queo. Fortasse hoc tu-  
um judicium potius amor bonorum, cui hoc merito & libenter tribuo, expressit.  
Ceterum ut ex tui pectoris sanè doctissimi & profundissimi penu plura,  
& quidem, ut potes, eleganter elaborata nobis depromas, & in communem  
Reipub.

Reipub. literarie, adeoq; S Sancte jurisprudentie utilitatem impendas, vehementer oro. Multi quidem multa scribunt: sed aut minus necessaria, aut non pro rei splendore satis elaborata. Animus autem quibus est & instructor & ad res magnas promptior, plerunq; manum suam subducunt. Quod ne facias, sed te Musis natum esse, cogites, precor. Plura addere, & temporis & occupationum mearum ratio non patitur. Salve & V. le, vir Clarissime. tuisq; studijs & laboribus prestantissimis Deus benedicat. Valdè raptim scribebam Marpurgi, 14. Aprilis, anni 1598.

T. Excell.

addictiss.

Iohan: Gaddeus D.

## IV. EPISTOLA PHILIPPI GLA-

seri scripta Argentorati. pr: Cal. Iulij. Anno 97.

Salutem & x̄p̄m̄.

**R**edita mihi sunt litera tua eruditissima pariter ac amantissima, mi D. Doct. Tilemanne: quibus ego quid respondeam, in hoc tempore nihil aliud habeo: quam studium tuum in me accidere mihi longe gratissimum. Opto dari mihi occasionem, qua & conservare illud & augere quea: licet jam in amicis colendis, praeter naturam & morem meum sim negligentissimus, idq; propter graves occupationes: & mutationem habitationis ac rei familiaris meae: in quibus omnibus extricandis & de novo constituendis meipsum propè consumo: sed prospicio finem, Deo laus, quo dato, ad officium revertar. Gratulor etiam Reipub. literarie, inclytæ VVittenbergenfi Academiæ, patriæ tuæ charissimæ: quod te nacta est ea virrute, doctrina, & diligentia Doctorem atq; Professore, qui & velit & possit studia juventutis provehere, ornare atq; conservare. faxit Deus, ut illud & tibi & Reipub. sit faustum, diuturnum, imò perpetuum. Me à studijs literarum, & ijs maxime, quæ in jure nostro & historijs & linguis, mediocri labore & felicitate inchoavi, adeo multa abstrahunt: ut nihil minus nunc sim, quam qui esse volui. Deus me tandem ab illis monstris liberet, precor, & me mihi reddat. Tu interim perge, prestantissime Tilemanne: dum ætas est, dum occasio: nec ullis invidorum aut calumniatorum morsibus fatigare: aderit Numen: ut instar multorum unus sis, nostrosq; defectus large suppleas. Nunc vale feliciter, salutatus amantissime à communibus amicis, Gothofredo maxime & Obrecht. Argent. subito pr. Cal. Iul. Anno 97.

Tuæ virtutis ac doctrinæ

Studiosiss.

Philippus Glaserus D.

Cumula-



Cumularem Basilienſium epistoliarum plurima ac alia noſtratum  
ICTorum etiam patris mei de Tilemano ſincere conſtantia iudicia. Ve-  
rùm ubi rerum teſtimonia adſunt, quid opus eſt verbis: cum alias plu-  
rium calculus vincat & unus vir nullus vir ſit. Pergat interim Suecus.

## SUECVS.

*Cujus ſane diſcurſus neq; ſtilus eſt bonæ frugi, neq; res ſunt  
bonæ ſpei; quippe cum multò plura pollicatur, quam reverà  
preſtare queat.*

## FORST:

Multa dicis hic Suece, ſed pauca probas: Tilemanus quid reſpon-  
diſſet? Proculdubio Socraticum, An aſino ſi me calce petiſſet, coram  
prætorè diem dicerem. Nihil regeſſiſſet ipſus aliud, atq; illud Senecæ  
malis diſplicere, laudari eſt, & aliud æqua laus eſt à laudatis laudari &  
ab improbis improbari. Nam cum Hectore Næviano laudi duxerat,  
laudari à laudato viro; tuam tibiq; ſimilium auram ſpreverat ſemper  
& ex Quintiliano didicerat; quod qui ſtultis eruditi videri volunt,  
ſtulti eruditis videantur. Aut credis hoc Suece, voce ut loquatur pſit  
tacus coturnicis. Is tamen eſt ſtilus & eæ res diſcurſus Tilemannici, ut  
Suecum comonefaciamus meritò. NESVS MINERVAM. Nam certè  
ſtilus Sueci quid quam Scholare & Pædagogicum redolet, nihil ſubli-  
me. Res verò tam ſunt in his nugis amplæ, ut ſtupeant omnes Gracu-  
lum inter Muſas, aſt & in logica logicum advertamus artificium. Sti-  
lus non eſt bonæ frugi, neq; res ſunt bonæ ſpei, inſit Eccur Suece? Quip-  
pe cum multo plura polliceatur quam revera præſtare queat. Scin?  
Suece, quam illam vulgò probationè aſini nam nuncupent IDEM per  
IDEM? ſtatim per ſtatim?

## SUECVS

*Autor hujus diſcurſus in illuſtri VVitebergenſium Acade-  
mia antiquitatum cathedra profeſſioneq; donatus eſt. Mirum ſa-  
nè. Quid mirum. Imò verò miraculoſum, cum partus ejuſmodi  
profeſſoris, nullo ferè aut ſanè per exiguo antiquitatis odore ſa-  
poreq;*

C

poreq;

poreq̄ refertus aspersusq̄ sit, quod vel mediocriter antiquitatum  
cognitione imbutis confusum hunc discursum percurrentibus, ob-  
vium erit, aperteq̄ constabit.

### FORSTERS

Ecce doctum Suecum, qui discrimen novit, inter mirum & miraculum  
quo miraculo & Cardanus & Scaliger utuntur in significatione am-  
pliori. Atqui Suece, Tilemannus miraculum non est, quia est opus Dei &  
naturæ ordinarium. Neque mirum quod proceres Academici malue-  
rint Tilemannum sibi collegam, quam te, doctum nimirum hominem,  
quàm asinum. Verumtamen locus Tilemanni per interitum nunc  
patet. Nihil interim audio de Chesnecophero adducendo. Quin-  
tu suece, non cessa cornicum oculos configere, & pro prudentia  
tua quis assumendus in ipsius locum sit, quælo proceres edoce, ac te  
ipsum antiquitatum peritum (imperitum legendum est) substitue;  
cum Seneca dicat, si quando fatuo delectari volo, non est mihi lon-  
gè quærendus, me video. Cætera quæ affingis non repeto, sed ad  
superiorem glossulam te remitto. Id Platonis addo, Nescienti quid  
laudet vel quid vituperet, non est adhibenda fides.

### SVECVS

Et sane quam inique quamve misere illo in discursu  
antiquissimos fideq̄ dignissimos historicos reprehenderit &  
flagella verit Antiquarius, suo tempore non obscure docebi-  
mus, jejunaq̄ eius sophismata & stomachi tonitrua atq̄ tumul-  
tus, vel si ma vis, latratus, quos movere non erubuit, reper-  
cutere non supersedebimus. Quanta verò est huius imperi-  
ti Antiquarij ostentatio, quanta antiquitatum jaëtantia, quan-  
ta ingenij eius oscitantia, tanta m̄ hercle est antiquitatum in eo-  
dem bomine ignorantia, tanta caligo, tanta tenebra, quod vel  
ex eo manifestum est, cum professione vocationeq̄ sua mini-  
me contentus, falcem in alienam messem immiserit. Etenim  
non

nontantum historicos clarissimos suis morsibus prosequitur la-  
ceratq; , Verum etiam præstantissimos Mathematicos car-  
pit.

### FORSTERS

O quam facile est redarguere mendacia. Lactant. Firmian. Ni-  
hil igitur huc porro, quam quod mentaris. Neque minas expavesci-  
mus tantoperè Nam qui minacijs deperit & cavillis, alimnis iste bom-  
bis dignus est, sepeliri. Cæterum, Hoc stulti proprium non posse  
& velle nocere sicut Ausonius canit,

### SVECVS

Ideo fortasse, ut ex insectatione præclarissimorum auto-  
rum gloriolam laudemq; gloriosulus jejunusq; Antiquarius con-  
sequatur.

### FORSTERS

Ex tuo ingenio judicas alios Suece, & æstimas quod iudicium  
tuum Cicero refellit dum sic ait : Plura multa judicant homines odio,  
aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, quam veritate. convenisset  
tamen Sueco ante oculos sibi subijcere politicam Erasmi regulam. Im-  
pudenter, ait, in alterum vicium torquet, si in promptu est quod ipsi  
vicissim obijciatur.

### SVECVS

Verum enim vero ne quicquam huic affingere videar,  
illius verba & atticam eloquentiam tibi describere, ut mecum  
cognoscas, quo usq; huius professoris prorumpat audacia, non gra-  
vabor, &c.

### FORSTERS

Tace, tace, Rumna quæ supra sunt tradita. Si tamen aliter per-  
suaderi tibi non pateris, quin Tilemannus homo plurimæ lectionis, ac  
multarum occupationum, multæque eruditionis, in levi-  
cula quæstione ceciderit, cogita quod errare humanum sit, in  
errore perseverare belluinum: nec hominem ideo sic lacera,

C 2

qui

qui eius erat industriæ & candoris, ut si vicisses, ultrò cessisset nunquã oblitus quod ex Hotom. in discursum suum alibi retulerat. Levia ingenia nihil sibi patiuntur detrahi. Magno ingenio multaq; alias habituro, sufficit simplex erroris cogniti confessio.

### SVECVS

*Sed miseret me huius Academiae, quæ cum annos bene multos singulari Mathematicum & antiquitatum laude, præsertim tempore Philippi Melanctonis claruerit, nunc tam imperitum adepta sit antiquitatum professorem & scrutatorem.*

### FORSTERS

O miserum cor! ast non ex aliena miseria, sed ex propria! quid miserescas? Imò potius invides. Atqui juxta Plautum, Qui invident egent, illi quibus invidetur, rem habent. Cæterum quis hoc facit ul. la in Scythia tyrannus, ut eos quos lucus afficeret lugere non sineret, exclamat Cicero

### SVECVS

*O Antiquarium stupendæ fatuitatis.*

### FORSTERS

Audi me & desine fatuari Suece. Nam qui se diligit stultum, non proficiet ad sapientiam ut Augustinus ait, Stultorum equidem plena sunt omnia, secundum Ciceronem! & in Ecclesiast: Stultorum infinitus est numerus, manebit tamen aliquid à fatuitate vacuum. In quo cum alijs Tilemannum pono. Te ponere nequeo quod in te quævis fatuitatis ac stultitiæ signa & indicia concurrant. Nam stulti proprium non posse & velle nocere, ceu ex ausonio supra habuimus. Ciceroni stultitiæ proprium est, aliorum vitia cernere & oblivisci suorum. Aristoteli: Agere inconsultum signum est stultitiæ: Menandro non est quicquam audacius quam stultitia. Demerato apud Plutarchum Fatuus tacere non potest. Illa legisti superius. Hoc in confesso est, nec diffiteberis cum Terapontigonica promissa satis insatiabile scribendi cacoethes prodant. Itaque credo si Tilemannus viveret, Is te hominem stultum magis etiam infatuaret, & ex insano insaniorem faceret.

SVECVS

## S V E C V S

Ecce vero, Doctiss. Schrodere, non agam obscure, hunc insulsum Antiquarium neque pudet affirmare vetustissimos scriptores nullam scriptorum Archimedis mentionem fecisse, neque pudet eum mendacia sua frivolasque nugas evulgare & in lucem emittere, neque pudet eum ignorantiam stupiditatemque suam præclarissimis præstantissimisque Misniae IC. persuadere ac venditare.

## F O R S T E R V S

Periisti periisti os impudentissimum. Illum enim ego perisse dico cum Plauto, cui quidem perit pudor, Auden' tu hominē qui vivo vivum. omnium moralium virtutum & intellectualium, omnium bonorum testimonio, vas erat, insimulare impudentiæ? Cum Euripidi ἡ μεγ' ἤ τῶν ἐν ἀνθρώποις νεώτων παρῶν habeatur ἀνάδεια. Quin imò auden' huic mendacia & frivolas nugas imputare nugator nugacissime? O impudentiam: ò mores. Excusa prius te, quam accusas alio, impudentissime Suece. Id statuta volunt Iuridica. Vos ò præclarissimi præstantissimiq; Misniae IC, & omnes ubivis locorum boni iudices estote vel arbitri. Digno prius eum prosequimini odio. Nam & Menandro, ψεύδῃ δὲ μισθὸν πᾶσι τοῖς καὶ χρεῖται. Tum poenam indicite. Quem enim non pudet, hunc poena dignum putat Cicero. Et ipsi Deo falsus testis non erit impunitus: & qui loquitur mendacia peribit. In sententia concludite. Ne quid posthac ei credatur amplius. Id justum est. Tum sciet & experietur nugator hic, Diog. Laertium rectè statuisse, quod qui in mendacio confidit citò deficiat. Tum credet Franc. Petrarchæ, quod sicut immortalis est veritas, sic fictio & mendacium non durent. Tum ipse dicet cum Boetio Mentiens imprudentia, rerum merita non potest immutare.

## S V E C V S

Neque sane mirum. Ecquid enim hominem humanitatis expertem suppudere possit.

C 3

FOR.

## FORSTERS

Si humanitatem id esse vis quod vulgus existimat; quodq; à Græcis *φιλανθρωπία* latinis comitas dicitur: quod dicis nullum est. Nihil enim Tilemanno nostro cum Iustiniano tam gratum erat, quam humanitas, & didicerat ex Cicerone omnium conciliare animos, comitate affabilitateq; sermonis. Cuius rei testes habet, qui ipsum noverunt, omnes, ut tibi soli incredibilia deponenti merito non credatur. Si eos securus qui verba latina fecerunt, quiq; iis probè usi sunt, humanitatem appellas id propemodum, quod Græci *φιλανθρωπία* vocant, nos eruditionem institutionemq; in bonas artes dicimus, non erat is ejus humanitatis expertus: sed ingenio præstanti & eruditione perfecta: & *φιλανθρωπία τῶν ἐν ἡμῖν ἀφ' αὐτῶν ἔστιν* habebat. Ostendunt hoc alterius humanitatis testimonia, atque hanc humanitatem exitus attestatur. Quo enim quis doctior eò humanior; & didicisse fideliter artes emollit mores: ut in ipso conspicuum apparuerit, quod Menander habet, *ἀπαιτίας ἢ φιλοσοφίας ἢ νεπέσης πῶτος*. Tute verò Succenum humanus sis vel illo vel isto modo, tecum pondera, & ex illo Ciceronis conclude. Satis est homines imprudentia lapsos non exigere: urge-  
re verò jacentes aut præcipitantes impellere, certè inhumanum est. Sic Ciceronis oratio: quã dum huc pono: pono saltem errorẽ Tilemannicum: nõ dum concedo. Et tamen ex eo præsupposito tuam inhumanitatem patefacio:

## SVECVS

*Paulo inferius.*

*Quod Antiquario recens nato &c.*

## FORSTERS

Horatius ait. Indignor quicquam repræhendi non quia crasse, Cõpositum, illepideve putetur: sed quia nuper. Ast cum Pyndaro, nova & pulchra Tilemannica semper stupeſco: vel ideo quoniam non sunt nova: Novello tamen Sueco & in historicis ac antiquitatibus infanti infando, Pellenzam errorum tunicam lubens relinquo.

## SVECVS

*O temeritatem præcipitem & audacem professoris.*

## FORSTERS

*Imò temeritatem audacem temerarij Sueci: qui neq; intentionem suam*

suam probat, neq; allegationum causam habet. At vero accusatoris Sueci temeritas hoc modo detegitur, quod calumniatur. Calumniari est falsa crimina intēdere. Calumniatorib; pœna lege Remmia irrogatur, sic ait Marcianus: olim fronti. v. K. inurebatur Julian. in Antiocho. Ea enim nota calumnia significabatur ut habet Longus apud Pitheum. Ast & constitutione Gratiani valent, & Theod. calumniosissimum caput infamiae supplicium sequitur; quo singuli, universiq; cognoscant non licere in eo quod non possit ostēdi, iudicum animos commoveri, unde & Valentinianus sancivit, si quis ad eodē procax fuerit, ut non ratione sed probris putet esse certandum, opinionis suae imminutionem patietur. Imp. Honor. & Theod. Sic rescripserunt: Quisquis crimen intendit, non impunitam fore noverit licentiam mentiendi: cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicij. Delige Suece (nam tibi mites sumus) quam voles pœnam, vel legis Remmie, vel talionis, vel intestabilis infamiae, vel cauterij quo frons tua inuratur, vel Myricę arborisque infelicis. Atqui displicebunt omnes: sicut olim alicui nullum arriserat, in quo penderet, paribulum. Ergo subeas novissimam non graviter. Nam ut Modestinus ait. Constitutiones tēpore posteriores, potiores sunt his, quę ipsas præcesserunt. Aut si novitas adversa sit: cogitet Suecus quod ius talionis ante decē viros induxerat æternus sumusq; nomotheta Deus, lata lege, *Animam pro anima: oculus pro oculo*, &c. Nec acerba vel ideo videbitur ipsi talio, si non est oblitus principii. Quod tibi fieri nō vis alteri nō feceris! ab Alexandro Severo Imper. tantopere dilecti & venerati, ut & in palatio & publicis operibus illud perscribi iusserit! ceu ex lampridio Corasius repetit.

S V E C V S

*Quid vis amplius?*

F O R S T:

Hem dicacissime Dictator si hoc impetrare possis, ut *æurōs* de te sicuti de Pythagora dicatur, vicisti: Sed apud omnes bonos homines id nondum consecutus es. Idcirco falleris, si solo sibilo crepituq; confidere putas, quicquid tibi lubet. Hoc ij volunt amplius: saltem liquidò probes quod intendis; ac vitio vertunt, quod inter legum studiosos tenumeras, & hanc primam juris gentium regulam non didiceris.

S V E C U S

*Homo qui in antiquissimorum autorum scriptis nihil didicit.*

didicit, se antiquitatum professorem iactare non erebescit: Homo qui in Mathematicis nihil intelligit omnes Mathematicos in librorum delectu haecenus errasse profitetur.

### FORSTERS

Ah miser, neminem ne sentire puras, te tibi arrogare quod alij detrahis: arrogat autem qui sibi attribuit quod non habet, secundum D. Thomam; unde & Diog. apud Stob. In arrogantia quemadmodum in armis de auratis non similia sunt interiora exterioribus. Iuxta Ciceronem tamen illud *γνώθι σεαυτόν* ad minuendam arrogantiam dictum est. Caeterum probare prius debebas, quod vehementer omnes eruditi pernegant; Tilemannum in antiquorum authorum scriptis nihil didicisse, nihil in Mathematicis intellexisse. Nunc quasi ea de re non quaereretur, aut nemo dubitaret, tu tam ineptus es, ut satis esse putes, si loquaris. Unde profecto male tecum ageretur, si summo jure tecum ageretur.

### SVECVS

Ex quo profecto non obscure licet colligere, quam frigidè quamq; frivole Antiquarius antiquitatem suam iactitet.

### FORSTERS

Egregiam vero conclusionem Suecicam. Quid miserte torques? Hoc quod colligis tam facile probabis, quam id ex quo colligis. Sed tenes vetus illud. Cum quis impudens esse caepit, gnaviter impudens esse debet.

### SVECVS

Cum vomitus eius frustra esculenta nullam percussus antiquitatem, sed vinum nescio quod redoleant.

### FORSTERS

Sicut quævis spurcæ tuæ epistolæ fragmenta per quandam *ἀντιπάλιν* te referire possunt, ita eodem jure quo tu in Tilemannum hæc torques, in te retorqueri queunt. Quapropter ut breve faciam, de te fingito, quævis illa & adversum te dici, si eo genere orationis delectaris. Quid enim temulentis tuis ac vinolentis aut violentis potius convitiis,



convicijs, in bonum Tilemannum, nihil meritum tale, tale nihil ex-  
pectantem, e specu tuo phantasmatico vomueris, in quē quasi hippoma-  
nes haufisses, tumultuando in curristi; testes facio has tuas nugas, te-  
stes facio viros doctos omnes, omnesque bonos! qui rabiem tuā nun-  
quam satis mirari valuerint: nunquam satis execrari. Nos rogamus  
Deum ut dimittat peccata Sueco: concedatq; rab. dos compescere  
mores.

SVECVS

*Paulo inferius*

*O stultum Philippum Melanthonem &c.*

FORSTERS

Eccur ita Suece. quia dissentit Tilemannus ab istis, eos stultos, ru-  
sticos, idiotas putavit? an nescivit humanum errare? Sed naturam tu-  
am, indomitam scilicet beluam, imputas alteri. Censen' tu Philippum,  
Reinholdum, Peucerum se ipsos amasse sine rivali: Et Melanthon &  
Reinholdus & Peucerus & Tilemannus noster ( verbis utar Vulteia-  
nis) ut in aliorum sententias inquirebant liberè, sed candidè, & cum  
honore eorum à quibus dissentiebant: ita non tantum ferre pote-  
rant, ut in suas traditiones inquirent alij sed etiam ut veritas eruere-  
tur, id verò erat quod unicè desiderabant; modo id fieret candidè &  
sine existimationis læsione. Et vero profectò viri boni aliter non fa-  
ciunt, qui secus faciunt levitatem & impotentiã suam, ne quid gravius  
dicam, exponunt. Veruntamen errarint ij non errarint; nos insuper  
habemus. Tu certe etiam bonæ causæ clientibus, impar esses advoca-  
tus: & obijci posset Ciceronis illud. Nihil hoc fieri turpius aut dici po-  
test, quam eum qui hanc personam susceperit, ut amicorum controver-  
sias causasque tueatur, in minimis tenuissimisque rebus ita labiut ali-  
is miserandus esse videatur.

SVECVS

*Sed aliquid condonandum est Antiquario, cum eadem in scho-  
la Mathematica Mathematicis disciplinis informat9 instructusq;  
videatur, in qua & illi fuere, qui auditis vetustissimorū Mathe-  
maticorū nominibus peregrinos pisces nominari putabāt, qui ve  
Archimedē, Ptolomæū, Copernicū esse quasdam figurarū species  
in Euclidea σοιχεϊῶσι deumbratas depictasq; credebant.*

FOR.



## FORSTERS

O misericors, Verum ille vir est solus, volitant alij sicut umbræ.

## SVECVS

Verum hæc tantisper sufficiant ad antiquarij perspicientiam notandam, donec ad uniuersum discursum, responsionem uberiorem, Deo fauente, matura vero.

## FORST:

Σπένδε βεγδῶς, aut si latina mavis, matura lente. Cæterum Promissis dives quilibet esse potest.

Vide tamen ut alia grauiora producas. Alias tundes, cudes incudem, & ab incudibus tua recipies. Verum *ἀκμῶν μέγιστος ἔστω βεῖρος τῶς λόφου.*

## SVECVS

Pollicetur idem antiquarius novum animal politicum, juris civilis, quinq; humeris dotatum, ubi vero hoc monstrum pepererit (quæstiuncule enim legitima legitime methodi segmenta non constituunt) ea gratulatione excipiam, ut doceam antiquarium quid sit definire, quid distribuere, quid deniq; sit in partes essentielles quipiam dividere, secare partiri.

## FORST:

Hic sunt Terapontigonica, de quibus dixeramus, antea: quibus ceu Terapontigonus Plautinus iste victorias nondum partas jactas: Perge triumphare gloria, priusquam triumphes victoria. Atqui Thrasoni tibi Gnato non ero: Quinimo juxta Horatium

*Detur nobis hora locus*

*Custodes; videamus uter plus scribere possit.*

*Dij bene fecerunt inopis me quodq; pusilli*

*Finxerunt animi; raro ἔστω per pauca loquentem.*

*At tu conclusas hircinis follibus auras*

*vſq;*

*Vsq̄ laborantes, dum ferrum molliat ignis  
Vt mavis imitare.*

Ebuccines igitur per me licet quanta velis, modo tali jaſtancia  
Tilemannum bonum non obruas, & mihi veniam des, ſi non poſſim  
credere vanitati tuæ.

VANITAS VANITATVM ET OM-  
NIA VANITAS.



*Ad Clariffimum & Conſulriffimum virum,*

**D. Valentinum Guilelmum Forſterum, I. V. D.**

pro defenſione Excellentiffimi & Conſulriffimi viri Dn.  
Friderici Tilemanni, I. V. D. decertantem.

**O** *Quem te memorem? veri defenſor & æqui  
Es FORSTERE, tui dum iura tueris amici,  
Scilicet hoc pietatis amor te poſcit, & omnes  
Poſcimus hoc, quin ipſa THEMIS tibi talia mandat.  
Nuper quam forti te peſtore IVSTINIANI  
Patronum vidi, cauſamq; egiffe clientis?  
Sic quoq; nunc per te, magnum patriæ ornamentum,  
Muſarumq; decus: cui vix GERMANIA vidit  
Æqualem, mundi qui miraculum TILEMANNVS  
Mirandum: victor debellato hoſte triumphet.  
Non tibi BODINVS, non aduerſaria VIVES  
Turba: ſed inferior multò ſolâq; tumefcens  
Invidiâ, & tantum doctis maledicere doctus.*

D 2

IN

IN IBIN

Epigramma.

**D**ic mihi (cum cunctas impuro ÆGYPTIA rostro  
Angues, & LIBYCAS devoret IBIS aves:  
Ut sic pestifero, sublatis inde venenis,  
More suo patrios aere purget agros)  
Cur tu tam diros (IBIS GERMANICA cum sis)  
Quos suxti, succos mittis in immeritos?

Cornelius Hagen. Bar.

---


**E**T tu mentiris, mendax vanissime Suece,  
Mentiris scriptis nec datur ulla fides.  
Ipsus es indoctus, truncoq; incultior omni,  
Dum culto laudem detrahis usque datam.  
Qui tibi sic sordet, qui sic ruditate notatur,  
Hic te discipulum nollet habere suum.  
Heus quis te movit defuncto tanta movere  
Scommata? tanta virum promeruisse bonum?  
Ehem quid narras? quæ te sententia vertit?  
Quæ te defunctum roderet causa facit?  
Ast sapias: haud mordent qui jam sua fata tulerunt,  
Qui jam suffossa contumulantur humo.  
Eccur non, vivo, falsum monstrare volebas?  
Cur non praesenti dicere ea ausus eras?  
Sed sic post finem tardi venire subulci,  
Sic post fata boni, Zoilus omnis adest.

Tobias Tileman frater.

FINIS.

X2483245

M



OK. 276

Z f  
955

VALENTINI  
GVILIELMI FORSTERI  
J. U. Doctoris

*Apologia  
pro*

FRIDERICO TILEMA NO  
U. J. D. & antiquitatum in celeberrimâ  
VVitebergâ Professore publ.  
p. mem.

*Adversus  
Futiles cuiusdam Sueci contumelias.*

Eurip:  
Intraenis oris vectigal calamitas.



VVITEBERGAE  
Typis M. Iohannis Cratonis, Anno 1598.

